32

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA,
SISTENS

PATHOLOGIAM ET THERAPIAM GENERALEM MALORUM, EXTEROS PLEROSQUE LUTETIÆ PARISIORUM DEGENTES DIVERSIMODE AFFLIGENTIUM.

QUAM
CONSENSU
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,
PRÆSIDE,
VIRO
EXPERIENTISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO,
DOMINO
CHRISTIANO LUDOVICO
MOEGLING,
MEDICINÆ DOCTORE, EJUSDEMQUE PROFESSORE
PUBL. ORD.
DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE
ET COGNATO
OMNI PIETATE ÆTERNUM PROSEQUENDO,
PRO GRADU DOCTORIS
PROPONIT
AUCTOR RESPONDENS
LUDOVICUS RUDOLPHUS SEUBERT, *Mulifontanus.*
AD DIEM MART. MDCCLVI.

TUBINGÆ, TYPIS BAUHOF-ET FRANCKIANIS.

§. I.

QUanquam corpus humanum ratione ſtructuræ atque mixtionis ſummam mereatur admirationem, illoque nihil præſtantius nihil artificioſius inveniri poſſit; Adeo miſera tamen microcoſmi hujus exiſtit conditio, ut fere omnia in orbe terrarum ad ejusdem perniciem conſpirent. Ea quoque, quæ naturaliſſima ſunt, & quæ ſanitatem atque integritatem maxime conſervare ſolent, abuſu vel tempore inepto adplicata, tot tantasque inducere ſæpenumero poſſunt inſidias, ut intenſiſſimi exinde in corpore humano exiſtere queant morbi.

§. II.

Ecquis erit, qui omnes præſagire ac conſiderare poſſet morborum cauſas, atque occaſiones. Subtiliſſimo ſane repugnat ſcrutatori, atque jure cum GEORG. BAGLIVO fateri debemus, origines morborum & cauſas longe eſſe ab-

ſtruſiores, quam ut humanæ mentis acies eo usque penetrare poſſit. Latiſſime enim patet ampliſſimus cauſarum campus. Nam quot morborum ſpecies nunquam ſatis indagandæ, tot iterum eorundem cauſæ innumeræ perpendendæ obveniunt.

§. III.

Quemadmodum autem corpus humanum quoad mixtionem atque ſtructuram per ſe admodum corruptibile eſt, ut fatiſcere tandem atque deſtrui neceſſe ſit; ita ejus mutatio, corruptio, & deſtructio magis magisque augetur & facilitatur per qualiacunque accidentia ſub titulo rerum naturalium, non naturalium atque præternaturalium in Medicorum Scholis venientia. Et illa ſunt, quæ generaliter de morborum cauſis allegari poſſunt.

§. IV.

Præ reliquis res ſic dictæ non naturales generi humano maxime inſidiantur. Nam frequentiſſimus earum uſus eſt, qui quo magis eſt perverſus atque ineptus, quoque majores in illis admittuntur errores, eo frequentiores exinde propullulant morborum ſpecies, qui plus minus graviores, atque diuturniores exiſtunt ratione diſpoſitionis individualis, cauſarum πϱοηγομένων &c.

§. V.

Quid valeant animi pathemata in corpus noſtrum humanum, & ii videbunt, qui experientiam vel obiter conſulere volunt. Eorundem nimirum vires atque impreſſiones perniciosiſſima frequenter damna proferre, extra omnem dubii aleam poſitum eſt, (a) quin mortem aliquando ſubitaneam indu-

(a) FRID. HOFFMANNUS *in Med. rat. ſyſt. T. 2. p. 2. §. 9. de animi pathematibus* ſequentia dicit: Hinc adeo fit, ut potentia ac celeritate nocendi validiſſima etiam venena ſuperent, Quæ non tam cito mortem inferunt, vel in momento in actiones vitales graſſantur, quam ſubitus & vehemens animi affectus. &c.

inducere poſſe, experientia edocti ſumus. Morbi autem inde profluentes tanto magis conſiderandi ſunt, cum peculiare id habeant, ut pertinaciſſime omnia reſpuant remedia, atque via occultiſſima vitæ inſidientur.

§. VI.

Omnes (§. III. IV.) recenſitas cauſas προκαταρτικας punctatim examinare huc minime pertinet. Quare, ne ulterius a via præſcripta aberremus, illæ tantummodo erui nunc debent, quæ ad tractationem noſtram ſumme neceſſariæ ſunt. Et ſicuti rationi æque reſpondet ac experientiæ, aërem (*a*) victumque præ omnibus corpori animato frequentiſſima afferre damna; Ita utrumque in ſubſtrato affectu maxime accuſare poſſumus.

§. VII.

Aërem itaque & victum hic in cenſum venire, ex §. præcedente conſtat. Hinc miſſis omnibus (§. III. IV.) allegatis utriusque qualitatem & indolem ſive bonam ſive malam percurremus, diverſitatem morborum exinde erumpentium trademus, atque tandem omnia ad ſpecialem noſtram tractationem, ſolicite adplicemus.

§. VIII.

Cur vero aër atque victus præ cæteris omnibus frequentius nocere generi humano poſſint, (§. VI.) ratio in promptu eſt; quoniam nempe corpus animatum illis ſolis conſervatur atque nutitur, (*b*), ita quidem, ut neutro carere queat, niſi

(*a*) HIPPOCRATES jam olim obſervavit, nullas fieri poſſe in corpore animato mutationes, niſi aëre præſente. Quid enim, inquit, ſine hoc fit tandem, aut a quonam hic abeſt, aut cui non præſens eſt?

(*b*) Idem *de flat. c. 2. chart. Tom. VI. p. 214.* inquit: Corpora hominum & aliorum animantium triplici alimento nutriuntur, illis autem alimentis hæc ſunt nomina: cibi, potus, ſpiritus. &c.

niſi præſentaneo vitæ atque ſanitatis detrimento; uterque autem, quamvis ad ſuſtinendam, præſervandam atque prolongandam ſanitatem ſumme requiratur, vel exceſſu, vel defectu nimio, vel qualitate depravata peccare ſæpiſſime poteſt; minime itaque mirandum ex jam dictis peſſimas atque infenſiſſimas corporis labefactationes plus minus periculoſas propullurare.

§. IX.

Aër primario conſiderandus nobis occurrit, quem ſtatim (juxta §. VIII.) contemplari licet duplicem ſcenam ludentem. Ad vitam enim & ſanitatem incolumen ſervandam maxime requiritur; ex altera vero parte eandem ſubito immutat atque deſtruit, *Cum teſte Hippocrate (a) maximus ſit in omnibus, quæ corpori accidunt, & vitæ & morborum auctor & Dominus.* Anne hoc valde paradoxum videtur? Ex ſequentibus plenaria hujus axiomatis eruetur atque probabitur veritas.

§. X.

Duplex ſtatuendus eſt aër ad conſervandam ſanitatem neceſſarius; unus nempe internus, omnibus corporis humoribus, imo univerſæ ejusdem machinæ intime immixtus; Alter vero externus, qui omnia hujus univerſi circumfundit & ambit corpora. Ille in fluidis æque ac ſolidis elaterem exercet & virtutem ſuam expanſivam. Hic contra virtute premente atque gravitate microcoſmum undiquaque æqualiter comprimit, & impedit, quo minus aër internus vi ſua expanſiva nimis agere poſſit tam in fluida quam in ſolida. Et ita perpetuum inter utrumque ſervatur æquilibrium.

§. XI.

Vigente itaque mutua utriusque actione & reactione, corpus animatum illibata gaudet ſanitatis integritate, reciproco

(a) *Lib. de flatibus. §. IV. VI.*

proco autem æquilibrio ſublato, non poſſunt non notabilia extemplo enaſci incommoda, quæ intellectu eo ſunt faciliora, quo magis ſummæ ab aëris æquilibrio turbato provenientes conſpicientur varietates. Vel paucis enim gravitatis aëris externi gradibus auctis ſive imminutis, differentiæ enormes reſpectu majoris vel minoris in corpus preſſionis atque efficaciæ exinde naſcuntur. De quibus Gallus iſte anonymus ſequentem in modum loquitur: (*a*) *Suivant d'exactes obſervations l' air ne peut augmenter ou diminuer en peſanteur que de* $\frac{5}{30}$; *car ſi on ſuppoſe ſa plus grande peſanteur partagée en trente degrés, il n'en perd jamais plus de trois degrés, & toutes les variations de cette peſanteur ſont renfermés entre trente & vingt-ſept; mais une telle variation eſt toujours fort conſiderable, car quand le mercure monte de vingt-ſept à trente, il eſt certain, que le poids, qui comprime le corps eſt augmenté, d'environ ſept cent livres: or quand un tel changement ſurvient, le tiſſu des parties & l'air interieur ſont comprimés par un poids, qui agit avec une force, à la quelle a été ajoutée une force égale au poids de ſept quintaux, c'eſt à dire, égale au poids d'un corps, qui peſeroit ſept cent livres: or dés que le corps eſt comprimé par cet exces de force, le vaiſſeaux doivent ſe rétrécir, & l'air interieur doit étre comprimé: or un tel retréciſſement multiplie les reſiſtances, que le ſang trouve dans ſa circulation, donne plus de force aux fibres: la chaleur doit donc augmenter, quand la preſſion de l'air eſt augmentée; aprés une telle explication il ne doit pas paroitre ſurprenant, que les changemens de temps faſſent de ſi vives impreſſions ſur le corps, ils ſont toujours accompagnés des variations de la peſanteur & de telles variations doivent ſe faire ſentir, ſur tout aux corps cacochymes.*

§. XII.

Innumeris itaque genus humanum expoſitum ſemper eſt tem-

(*a*) Anatomie d'HEISTER avec des eſſays de Phyſique ſur l'uſage des parties du corps humain, & ſur le mechaniſme de leurs mouvemens. *Tom. II. p. 406. ſq.*

temporum viciſſitudinibus, majoribus minoribusve paſſim agitatum aëris impreſſionibus, quippe quibus vel perennem potiſſimum ſalubritatem, vel continuas debet morborum procellas. Aër enim athmoſphæricus juxta varia anni tempora mutatur varie, & diverſi exinde, experientia teſte, cuique anni periodo familiares præbentur morbi fomites, qui non niſi turbatam aëris interni cum externo proportionem accuſant, qua æquabilis omnium corporis humorum tollitur circuitus, & inſenſibilis mox imminuitur & impeditur, mox nimis augeſcit perſpiratio, prout aëris vel gravitas vel qualiscunque corpora magis vel minus infeſtat qualitas.

§. XIII.

Ab æquali autem & libere ſuccedente inſenſibili perſpiratione maxima pendet ſanitatis integritas, quoniam illius ope potiſſimum corporis excrementum per univerſa cutis ſpiracula educendum eſt. Cutis nimirum univerſale dicitur colatorium & emunctorium, quo qualiacunque excrementitia corpori inimica expelluntur atque eliminantur. Quibus ibidem vel interceptis vel plenarie retentis, quam plurimi gignuntur morbi plus minusve detrimenti afferentes. Maxime autem febres acutæ, epidemiæ, dyſenteriæ, diarrhoeæ, Rhevmatiſmi &c. Quemadmodum tranſpiratio nimis aucta univerſo corpori optimas detrahendo vires ad graviſſimas haud ſecus diſponit afflictiones.

§. XIV.

Ex præmiſſis hinc (§. XII.) facile colligere licet, moderatiorem omnium fluidorum circulationem, & perſpirationem inſenſibilem ab aëre ambiente derivandam eſſe. Qui quo magis eſt purus, ſerenus atque temperatus, eo promptior materia perſpirabilis neque juſto auctiore neque plus juſto imminuta erumpit quantitate, eoque magis ſanitati atque vitæ proſpicit. *Ille enim Aër dicitur optimus ſanitatis conſervator,*

qui

qui temperatus, nec nimis frigidus, nec nimis calidus, nec exceſſive humidus & ſiccus eſt. (*a*) Qualem habitum omnino ſanitati amiciſſimum eſſe, firma liquet experientia eorum, qui colles editioraque loca incolunt, vel ruri ſunt, cum perenni corporis integritate præ iis reficiantur, qui in locis magis profundioribus vel urbibus ſpatioſiſſimis, Pariſiis puta, Londinique & rel. vitam degunt. Loca enim altiora aërem magis ſalubrem & intaminatum alunt, quoniam venti ibidem orientales præcipue qualescunque impuriores diſſipant exhalationes atque putridas colluvies diffundunt. Cum contra in locis humilioribus, ubi ventorum tranſitus denegatur, & *aër urbanus* (*b*) *in populoſis imprimis civitatibus, quarum ædificia altiſſima viæque exiguæ admodum latitudinis ſunt, craſſus ſit, infectus, vaporibus teterrimis gravis, infeſtus, raro perflatus renovatusque. In villis autem longe eſt ſalubrior aër, ædificia parva ſunt, diſtantia, humilia, viæ vel minimo vento perflantur, aër non ita gravis eſt vaporibus craſſis infeſtisque. Sapienter igitur apud Sinenſes viæ latiſſimæ humiliaque ædificia ſtruuntur, ut aëris ſalubritas ſervetur. Hinc quoque fit ut aër in locis ſicciorib us, montoſis, vento obnoxiis, ſalubrior ſit, ibique diutius homines vivant, quam in locis humilibus, paludoſis, rarius vento perflatis.*

§. XV.

Niſi ergo crebriores (§. XII.) juxta anni tempora excitarentur aëris immutationes, ſed una eademque ſemper benigna indoles & ubique talis perſeveraret, ad decrepitam uſque ſenectutem inculpata ſervaretur ſanitas. Nam ab aëris æquali ſinceritate & ſerenitate, flantibus inſimul ventis orientalibus inſigne robur corpori accedit & animo

(*a*) ELIÆ CAMERARII Syſtema cautel. medic. Cap. *De ſex rerum non naturalium uſu & abuſu. p. 386.*

(*b*) P. NOGUEZ, Medici Pariſienſis nota ad Sanctorii *aphor. LXI. Sect. 2. de aëre & aquis.*

(§. XIV). Omnes & corporis & animi actiones multo redduntur alacriores promptioresque, atque Emunctoria corporis univerſalia, quibus ſordes humorum excrementitiæ, aëreo-aqueæ, ſulphureo-ſalinæ, volatiles vigore partium ſolidarum & calore ejici debent, maxime cutis colatorium, quo multo copioſior ſemper materia ſuperflua e corpore excernitur atque inſenſibiliter perſpirat, quam per cætera organa excretionis ſenſibilia ſimul ſumpta, feliciſſime cedunt. Adeo ut vero ad modum ſimile ſit, hominem animaliaque omnia, qualibuscunque ſe - & excretionibus nutrimento adſumpto bene reſpondentibus, vitam diutiſſime eſſe protractura. Præſertim cum exacta gulæ, laborum, animi &c. ubique obſervaretur temperantia. Convenientem enim ſolidorum inter ſe atque fluidorum harmoniam, juſtamque earundem motus æquabilitatem & proportionem adæquatam in perpetua fore integritate, ſatis evidens eſt.

§. XVI.

Cum vero omnia modo allata impoſſibilia ſint, & corpus noſtrum ab aëre ambiente (§. XII.) ita ſemper afficiatur, ut vel minimæ hujus viciſſitudines (§. XI.) atque alterationes illud offendere poſſint; inveſtigandum nobis eſt, quænam ſint illæ aëris qualitates & cujus indolis, microcoſmo maxime infeſtæ, & quænam exinde neceſſario infligantur damna.

§. XVII.

Differt aër ratione elaſticitatis & gravitatis, (de quibus jam ſupra) frigoris, caloris, humiditatis, ſiccitatis. Valde diverſa inſimul effluviorum ratione malignorum, & impurorum, ejusdem conditio. Aër frigidus ſolida æque ac fluida admodum conſtringit atque condenſat, orificia pororum in corporis corticem hiantia arcte occludit & ſtringit, hinc omnes a peripheria ad centrum repelluntur humores, & excrementitiæ proinde ſordes ad torrentem ſanguinis revocantur, quibus

bus efficitur, ut via pateat innumeris morbis ſatis aperta. v. gr. cachexiæ, febribus acutis, Rhevmatiſmis, aſthmati, arthritidi, cephalalgiæ, epilepſiæ, cardialgiæ, colicæ, diarrhœæ, & quæ ſunt alia vix recenſenda damna in practicorum libris paſſim adlegata. Aër calore fervens fere contrariam præcedenti ludit tragœdiam, exaltando nimirum atque in motum celerrimum abripiendo corporis liquores, illos attenuat, reſolvit, particulas eorundem ſubtiliores expellit, ſicque illud mirifice debilitando, immenſæ adaptat & exponit morborum cohorti. *Celerrimam degenerationem in peſſimam putredinem in magno calore obſervari*, demonſtravit BOERHAVE. (*a*) *Ab æſtivis caloribus*, inquit LIVIUS, (*b*) *interdum tantopere exardeſcit aër, ut mirum non videatur, ſi Cos. Cos. L. VALERIO POTITO, & M. MANLIO peſtilentia orta ſit in agro romano, ob ſiccitates & nimios ſolis calores.* Aër humidus præ ceteris intemperatis ejusdem qualitatibus magis infeſtus eſt atque periculoſus, humiditate enim iſtius per poros cutis reſorpta inflatur corporis textura, relaxatur fibrarum tonus, languet motus humorum progreſſivus, inſpiſſantur iidem, minimi occluduntur vaſorum meatus, & ſic tranſpiratione inſimul imminuta vel plane denegata, impuritates in omnibus accumulantur humoribus, ad concitandas febres & putredines aptiſſimæ. Illuſtr. D. van SWIETEN (*c*) ſequentia refert: *Prout calor vel frigus aëris humiditatem comitantur, diverſæ mutationes in corpore humano fiunt, frigidus enim & humidus aër ratione aquæ, quam corporis ſuperficiei adplicat, majori copia laxaret & ſolveret; Interim tamen frigore exhalantium vaſorum oſcula ſtringit, ſicque perſpirationem impedit, ſeroſam colluviem colligi facit, unde tuſſes, catarrhi, peripnevmoniæ ſeroſæ &c. oriuntur. Si autem humiditati aëris magnus calor jungatur, ſubtiliſſima putrefactio excitatur, uti patet in carnibus ani-*

(*a*) *Elem. chem. Tom. I. p. 278.*

(*b*) *Lib. V.*

(*c*) Comment. ad BOERH. *aphor. de cogn. & cur. morb. T. II. p. m. 122.*

animalium mactatorum, quæ tali in aëre unius alteriusve diei ſpatio in tabum putridum diffluunt. Hinc ab omni ævo damnaverunt Medici aërem humidum & calidum tanquam peſtilentiali quadam facultate præditum. HIPPOCRATES (*a*) peſtem refert pluvias diuturnas inſecutam, cujus ſævitia quibusdam incolis pedes & brachia deciderunt. Quantum ad aëris ſiccitatem, ea non adeo infenſa eſt, & ſiccioribus plus damni adfert, quam humidis corporibus.

§. XVIII.

De repentinis aëris mutationibus pauca reſtant alleganda, quippe corpori ab omni ævo infenſiſſimis maximeque adverſis. Mutatur ſæpe aër ambiens illico vel è calido in frigidum, vel è humido in ſiccum, vel è frigido humido, in calidum humidum &c. atque eandem extemplo convertit in priſtinam ſcenam. Quemadmodum igitur qualitates illius ſimplices (§. XVII.) ſatis diu perſiſtentes fere omnes corpori nocent, ita alternantes ejusdem viciſſitudines multo deteriores ut plurimum provocant morborum tyrannides. Unde tot morborum atrocitates populariter in animalia ſævientes. Eandem accuſant originem Endemiæ *febres peſſimæ indolis acutæ, Hungarica,* (*b*) *Romana,* (*c*) æſtu diurno ferventiſſimo, frigore autem nocturno ſatis horrido regnante. Eandem cæteris paribus agnoſcunt cauſam mala Pariſienſia exteris familiaria. (v. infr.) Anne crebrerrimæ iſtæ aëris viciſſitudines fontem largiuntur ſcorbuti nonnullis abhinc annis Pariſiis admodum ſævientis? Junctis diætæ vitiis valde probabile eſt. Indubium hinc eſt, varia anni tempora varias in ſinu gerere morborum larvas. Sic juxta HIPPOCRATEM (*d*) *vere inſanias, hæmorrhagias, epilepſias, anginas,*

(*a*) *Lib. III. Epid.*

(*b*) Conf. *Diſſert. de Dyſenteria pannonica*, Præſid. Ill. D. JUNCKERO, Auctore Keſp. J. J. C. SEYFFERT, Hale habita 1732.

(*c*) GEORG. BAGLIVI Praxis medica *Lib. I. Cap. 15, De aëris Romani natura, curandisque Romanorum morbis.*

(*d*) *Sect. III. aphor. 20.*

anginas, arthritides, puſtulas, Rhevmatiſmos, variolas, morbillos, catarrhales febres, & ſynochas facile oriri, obſervatur. Morbi inſimul (a) æſtate ſævientes ſunt maxime febres ardentes, bilioſæ, cholericæ, tertianæ continuæ, intermittentes. Autumnus vero omnium morboſiſſimus eſt, & morbos eidem familiares & hyemi pari modo deſcripſit HIPPOCRATES. (*b*)

§. XIX.

Hæc de ſimplicioribus aëris qualitatibus ſummatim dicta ſunto. Morbi exinde provenientes pro ætate, ſexu, temperamento magnam habent latitudinem Summam vero meretur conſiderationem conſuetudo, quæ altera haud inepte dicitur natura. In regionibus borealibus educati, quo magis æquatori accedunt, eo moleſtius ferunt gradum caloris aucti inſuetum, & viciſſim. Ruſſiæ incolæ tempore hyemis, ubi omnia præ gelu crepitant, corpore prius prope ignem bene excalefacto, aquis ſe immergunt rigidiſſimis, absque noxa. Inſuetus idem non tentabit periculum. Puellæ plurimas corporis partes cunctis auræ mutationibus impune exponunt, quod ne quadratus quidem arator non aſſuetus tolerare poſſet. Neque minus e patria in extraneam peregrinantes regionem, ubi alia vivendi ratio, & aër inſuetus reperitur, magna ſentiunt ut plurimum incommoda.

§. XX.

Reſtat adhuc, qualitates aëris effluviis malignis refertas conſiderare, ejusdemque noxas corpori inducendas vel obiter tangere. Iſte nimirum ceu univerſale omnium exhalationum receptaculum & chaos putridis paſſim, volatilibus, cauſticis, acribus, virulentis, fœtidis halitibus & vaporibus inquinatur atque corrumpitur, qui modo e ſtagnis, paludibus,

 lacu-

(*a*) Ibid. *aphor. 21.*
(*b*) Loco citato.

lacubus, &c. aſcendunt, modo e cœni & ſordium per plateas a pluvia, nive aliisque tempeſtatibus ſtrata colluvie exhalant, modo a boum, equorum, ſuum &c. ſterquiliniis, hominumque excrementis, modo animalium mactatorum cruore & interaneis negligenter ſepultis aut in fimetum collectis, modo prælio cæſorum aliorumque animalium cadaveribus inſepultis aut minus profunde inhumatis aſſurgunt, modo è ſpeluncis profundioribus, terra movente, montibus ignivomis, modo mineralibus acidis, virulentis, modo animalibus venenatis, modo lapidibus bituminoſis accenſis exſpirant. &c. Nec minus varii generis & magnitudinis inſecta aërem quandoque replent, haud rariora in illis, quam in aqua piſces, è paludibus, lacunis, aquisque ſtagnantibus prodeuntia, quæ aëri poſtmodum innatant, cum rore in vegetabilia eſculenta decidunt, hæcque indole ſua volatili, acri, intime imbibunt. Unde atrociſſimæ febres malignæ, acutiſſimæ, acutæ, epidemicæ, endemiæ, chronicæ peſſimæ indolis, ut: peſtis, febres peſtilentiales, caſtrenſes, catarrhales malignæ, petechizantes, petechiæ, variolæ, morbilli, dyſenteriæ malignæ, febres intermittentes pertinaciſſimæ, phthiſes, aſthmata, ſcorbutus, ſcabies virulenta, lepra, elephantiaſis, ulcera cacoëthica, & alii innumeri malignis dotibus ſtipati naſcuntur morbi. Quin ſubitaneam quandoque evenire mortem, edocti ſumus fatali eorum obitu, (*a*) qui improvide cellas introiverunt, ubi muſtum recens fermentationi expoſitum fuit.

§. XXI.

Hæc de aëris in microcoſmum influxu, ejusdemque qualitatibus corpori vivo ſive proſpicientibus ſive nocentibus ſufficiunt. Nunc de eſculentorum dotibus (juxta §. VII.) quædam dicenda nobis ſuperſunt, quatenus iſtæ vel animanti corpori proficiunt, vel palpabilia afferunt detrimenta.

§. XXII.

(*a*) Conf. HERM. BOERHAVE *Chem. Tom. I. Tom. II. Miſcellan. nat. cur. Decur. 3. ann. 2.*

§. XXII.

Indefeſſo motu circulatorio atque calore conſumi tam ſolidas corporis partes, quam liquidam nutritivam humorum portionem, deſtrui eamdem, per univerſa diſſipari ejusdem emunctoria & colatoria, reliqua vero liquida ſolidis partibus nutriendis, fluidisque ſubtiliſſimis præparandis ad conſervandum ſenſum motumque ſumme neceſſariis plane reddi inertia, in phyſiologicis demonſtratur. Quare ne ſuccumbat corporis integritas, perpetuo opus eſt ſucci nutritii affluxu, quo amiſſi renoventur ineptique vero irrorentur humores.

§. XXIII.

Succi (§. præced.) laudati e cibis potibusque ingurgitatis ventriculi ductusque inteſtinalis efficacia, miſtis inſimul eorundem menſtruis digeruntur, in laudabilem chylum nutrientem concoquuntur, viis deſuper a natura præſcriptis univerſæ humorem maſſæ advehuntur, immiſcentur, & in eundem convertuntur ſuccum & ſanguinem. Reſiduum vero omni nutrimento orbatum, & fœcum nomine ſalutatum, motu inteſtinorum vermiculari periſtaltico per anum eliminatur.

§. XXIV.

Ut itaque laudabilis ſucci nutrientis aſſimilatio ſanguinique admodum conveniens præparatio recte procedat, ventriculi canaliſque inteſtinalis, & viſcerum chylopiœorum tonus atque vigor requiritur. Quemadmodum ex altera parte alimentorum potulentorumque congrua temperies œconomiæ digeſtionis & ſanguinis craſi amiciſſima probe conſideranda eſt. Nam qualis eſt victus, talis chylus, qualis chylus, talis, qui ex eo paratur, ſanguis.

§. XXV.

Prompte ſuo funguntur munere ventriculus, aliaque operi digeſtionis vendicata viſcera, nullis corporis vitiis ſive

alterata ſive debilitata, quando alimonia bonæ notæ, moderate, tempore conſueto, modice aſſumuntur. *Optima vero ſunt ea, quæ chylum ſuppeditant blandum, gelatinoſum, ac facile extrahendum.* (*a*) Qualia ſunt carnes bovinæ, vitulinæ, vervecinæ, &c. quæ celerrime ſanguini aſſimilantur. Omnia pariter gallinarum atque columbarum genera. Juſcula ex iisdem ſive aliis ejusdem indolis carnibus cocta. Lac, & qualiacunque ex illo parata lacticinia, caſeus, butyrum &c. bonæ ſanguinis craſi proxime accedentia. Semina partibus oleoſis, mucilaginoſis turgida, ut: hordeum, avena, triticum, amygdalæ, oryza &c. & exinde præparati panes, ova mollia, ſorbilia. Carnes aſſæ, ferinæ, piſces. olera mucilaginoſa, blanda, radices temperatæ: Lactucæ, Endivia, ſpinachia, &c. Scorzoneræ, dauci, paſtinacæ &c. radices. De quibus ſigillatim FRID. HOFFMANNUS. (*b*)

§. XXVI.

Eſculenta vero in genere reſpectu ætatis, anni temporum, regionum, conſuetudinis, individualis corporis conſtitutionis ſummam patiuntur inter ſe differentiam. Circa varium nempe ætatis ſtadium varia ſemper adhibenda ſunt alimonia. Infantes enim, quibus magna ventriculi teneritudo & imbecillitas eſt, eumdem victum, quem juvenes atque viri, minime ſufferre poſſunt, qui maximo corporis vigore & partium ſolidarum robore gaudent. Sicuti ſenes, quo majus virium detrimentum ſentiunt & debiliores redduntur, eo accuratiores de genuino victu ſibi proſpicere debent. Hinc egregie dixit HERM. BOERHAVE (*c*): *In pueritia lac, ſenſim panis, dein reliqua danda eo firmiora, quo plus crevit robuſta ætas. In ſenio ſenſim redeundum ad victum pueritiæ. Varia deinde anni*

tempe-

(*a*) vid. EL. CAMERARII *Syſtema cautel. pract. cap. de ſex rerum non naturalium uſu & abuſu.*

(*b*) *Medicinæ rat. Syſtem. Tom. I. L. 2. Cap. 4.*

(*c*) *Inſtitut. Med. §. 1057.*

tempeſtas in eodem homine varium etiam expoſcit vitæ genus. Quemadmodum veterum jam Medicorum ſecta diverſam diætam pro diverſo anni tempore ſapientiſſime diſtinxit. *(a) Æſtate enim & autumno cibos difficillime ferunt homines, hyeme facillime, vere minus. (b)* Hyeme nimirum atque vere cibi valentiores & potus meraciores facilius & promptius digeruntur, quam æſtate & autumno. Quare hyemali & vernali tempore cibos craſſiores atque duriores aſſumi, nihil vetat, juncto ſimul potu meraciori ſed pauciori. Cum contra æſtate & autumno victus tenuis, & dilutus ſed largior potus valde conveniant. (c) Pro Regionibus quoque diverſis magna obſervatur victus diverſitas. *Illi, qui inter tropicos vivunt*, inquit Ill. D. van SWIETEN, *(d) & maxime in locis æquatori vicinis, tenui victu delectantur, & ſæpe ſolis fructibus boræis, cerealibus, & aqua ſani & contenti vivunt. Contra qui prope polos habitant, piſcibus & carnibus, ſale vel fumo induratis, indigent.* Conſuetudo vero hic optimum ludit magiſtrum. *Sic enim â multo tempore aſſueta, etiam deteriora, aſſuetis minus moleſta eſſe ſolent. (e)* Turcæ drachmam dimidiam & ultra opii absque noxa deglutiunt, cum non aſſueti vix granum unum vel alterum illius miro cum eventu aſſumere valeant. Alii contra moleſte ferunt, qui non aſſueti ſunt, aliud vitæ genus. Sic plerique inſueti Pariſienſem diætam ſine incommodo ferre nequeunt, quippe quod ſymbolum confert ad diverſos inſultos. (vid. infra). Individuales denique corporis diſpoſitiones quo magis inter ſe differunt, eo magis diverſa quoque conveniunt ciborum genera. Quo robuſtiores ſunt homines, eô plus etiam ciborum duriorum,

(a) Confer. HIPPOCRATES *de ſalubri victus ratione Charter. Tom. VI.* & *de victus ratione ſanorum Lib. III. Cap. 3.*

(b) Idem *Sect. I. Charter. aph. 18.*

(c) Confer. FRID. HOFFMANN *loc. cit. Cap. 12.*

(d) Comment. in BOEHRH. *aph. de cogn. & cur. morb. T. 2. §. 602.*

(e) HIPPOCR. *Aphor. 50. Sect. 2. Charter. Tom. IX.*

riorum, tenaciumque abſque ullo damno ſufferre poſſunt. Agricolæ, Plebeji, laborioſi ingeſta ea facilius digerunt, quæ imbecilliores minime ſubigere queunt. Quare C. CELSUS ſcite præcipit: (*a*) *Imbecillis corporibus rebus infirmiſſimis opus eſt, mediocriter firmos media materia optime ſuſtinet, & robuſtis apta validiſſima.*

§. XXVII.

Quemadmodum igitur ciborum uſus cujuscunque corporis naturæ ſtricte adcomodatus atque modicus præſtantiſſimum ſiſtit ad conſervandam ſanitatem præſidium, ſic contrà nimia voracitas & avida ciborum deglutitio ſummas ſtruit corpori cæterum ſano inſidias, etiamſi optimus fuerit victus. *Nam ſicut* πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον; *(b) ita nunquam quoque utilis eſt nimia ſatietas, (c) nec raro plus infert noxæ, quam quævis perverſa qualitas, quam robuſtior ſubigat ventriculus, moli tandem ac quantitati ingeſtæ toties, ſuccumbens. (d)* Unde varii enaſcuntur morbi, v. g. Dyſpnœa, cruditas, ructus, cardialgia, nauſea, cachexia, putrefactio ingeſtorum, vertigo &c. Nimis longa vero à cibo abſtinentia deteriores adhuc, quam nimia repletio, gignit morbos. Reſolutis enim & conſumptis ſuccis blandis, nutritiis, humores reſidui perpetuo motu & calore acriores ſenſim redduntur, & in putredinem vergunt, anima fœtere incipit, ſitis urget, urina mingitur ſenſim acrior, & febris tandem ab enata nimia in ſanguine acrimonia accenditur deterrima.

§. XXVIII.

Præter iſta denique à copia obſoniorum corpori inducta mala ſummas quoque inſidias ſtruit depravata eorundem qualitas

(*a*) *Lib. II. Cap. 18.*

(*b*) HIPPOCR. *Sect. II. Charter. aph. 51.*

(*c*) CORNEL. CELS. *Lib. I. Cap. 2.*

(*d*) EL. CAMERAR. *l. c. cap. de cauſis morborum.*

litas Sic enim cibi nimis ſaliti, vel fumo indurati, acres, aromatici, fermentantes, viſcoſi, acidi, præpingues, putrore corrupti, fœtidi, rancidi &c. ſine ordine, ſine menſura, ſine ſelectu aſſumpti diras parant noxas, atque ſpeciatim cacochymiæ, cachexiæ, doloribus qualibuscunque colicis, rhevmaticis, arthriticis, vomitibus, cardialgiæ, diarrhœæ, dyſenteriæ, ſcorbuto, hydropi, œdematibus, febribus varii generis putridis, malignis, morbisque aliis plus minus atrocibus anſam præbent innumeris (*a*). Prout nimirum anni tempeſtates, regiones, ætas, conſuetudo ſuum cuique tribuunt, quibus ſemper aliquid concedendum eſſe teſtatur Hippocrates (*b*).

§. XXIX.

Præmiſſa jam generaliori de aëre & cibo tractatione, ad potulenta transgredimur, quippe non minus ad vitæ beatioris præſidium, quam aër & cibus, ſumme neceſſaria, (§.VII.XXIII) quæ vero vel copia, vel qualitate, vel incongruo tempore aſſumpta immenſas ſemper corpori minantur noxas.

§. XXX.

Potus ergo, quo purior, quo ſimplicior, eo magis naturæ congruus eſt. Hinc aquæ potus naturaliſſimus, illisque, qui eidem aſſueverunt, valde ſalutaris, (*c*) atque ſanitati tuendæ convenientiſſimus habetur. Quare omnibus liquidis per artem paratis, & heterogeneas continentibus particulas jure meritoque anteponitur aqua puriſſima, inſipida, omnibus alienis privata partibus, ſimpliciſſima. Interdum moderatiori vinorum temperatiorum uſui nihil derogare volumus, præſertim cum bene fermentata, ſatis tenuia, nec nimis ſpirituoſa,

(*a*) HERM. BOERHAVE *Inſt. med. §. 759. ſq. Ill.* van SWITEN *loc. cit. ad §. 586. & §. 605. nro. 6. 7. 8.*

(*b*) *Aphor. Sect. I. Charter. T. IV.*

(*c*) GEORG. BAGLIVUS *Prax. Med.*

nec acida, nec terreis, tartareis, calcareis aliisque inutilibus deſtructa ſint partibus. Qualia ſunt: vinum Rhenanum, Moſelanum, aliaque paſſim è ſinu patriæ provenientia &c. quorum largior uſus ſed modicus, vires ventriculi & totius corporis reſtaurat, conſervat, & omnibus excretionibus generalibus pollicem premit. Quemadmodum inſuper alia generoſiora mera, Hiſpanicum, v. gr. Græcum, Hungaricum, Apianum &c. medice & caute aſſumpta, conſervandæ ſanitati multum proſpiciunt. Liquores inſimul ſpirituoſi, ardentesque ſub honorifico aquarum vitæ nomine celebrati moderato & provido uſu non parum ad ſanitatis conſervationem conferunt. (*a*) Cereviſia item cum puriori aqua & modico lupuli parata, tenuis, probe fermentata atque defecata, nec acida, potum conſtituit tuendæ ſanitati valde proficuum.

§. XXXI.

Quo magis vero moderatus potulentorum uſus ſanitati conſervandæ indulget, eo infenſiores ſuſcitari ab immoderato eorumdem uſu corporis læſiones, quotidiana docet experientia. De aquæ ſimplicis & purioris abuſu multa proferre, haud operæ pretium eſſe duximus, cum largior ejusdem potus & ultra modum ingeſtus rarius occurrat, niſi corpori prius æſtuanti aut febre correpto immodicus frigidæ hauſtus quandoque in ſummam corporis perniciem infunderetur. (*b*) Unde periculoſiſſimæ ſane, acutæ, hecticæ aliæque pertinaciores evenire poſſunt febres. Quin repentino mortis diſcrimini exponuntur improvidi. Pauca tantum de intemperata generoſiorum potulentorum potatione, ceu turpiſſimis immoderatorum bacchi cultorum deliciis, proferre, haud abs re eſſe putamus. Quemadmodum igitur omnia, quæ nimia ſunt, in vitium facile convertuntur, ita inprimis potulenta meraciora

(*a*) Conf. *Diſſ. de Potu aquarum ardentium*, Tub. Præſ. RUD. JAC. CAMERARIO, Auct. Reſp. LUD. FRID. BRETERO. habita.

(*b*) Conf. FRID. HOFFMANNI *Med. rat. ſyſt. T. II. cap. 10.*

ciora ultra neceſſitatem e fœda voluptate corpori quotidie infuſa non poſſunt non graviſſimas inducere ægritudines. Hic eſt ille Bacchus, de quo olim ſapientiſſimus Salomo ita loquitur (*a*): *blande ingreditur, ſed deinde mordet ut coluber, & ſicut regulus venena diffundit.* Pari paſſu ambulant cum vino, liquores ſpirituoſi, ardentes, aromatiſati, nimia quantitate ingurgitati. Cereviſia pariter, ſi largius atque crebrius aſſumitur, haud leviores affert læſiones. Unus vero idemque omnium iſtorum potuum & univerſalis effectus crapula eſt. Diverſa vero, plus minus periculoſa, exinde erumpunt accidentia, de quibus eleganter cecinit LUCRETIUS: (*b*)

Denique cur hominem, cum vini vis penetravit
Acris, & in venas diſceſſit deditus ardor,
Conſequitur gravitas membrorum? præpediuntur
Crura vacillanti? tardeſcit lingua? madet mens?
Nant oculi? clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt?
Et jam cætera de genere hoc, quæcunque ſequuntur:
Cur ea ſunt? niſi quod vehemens violentia vini,
Conturbare animam conſuevit corpore in ipſo.

Nimia interdum potuum meraciorum ſpirituoſorumque quantitate perfuſos repentina morte perire, teſtatur HENRICUS ab HEERS; (*c*) vel apoplexia corripi, videſis apud CASPAR. THEOPHIL. BIERLINGIUM; (*d*) vel epilepſia abripi, oſtendit laudatus HENR. ab HEERS; (*e*) Phrenitidem porro graviſſimam a cereviſia & vino obortam cum perpetuo delirio obſervavit PETRUS FORESTUS; (*f*) Hœmoptyſin a vini largiori uſu notavit GODOFRED. MOEBIUS. (*g*) Et hujus-

 modi

(*a*) *Proverb. Cap. 23.*
(*b*) *Lib. III.*
(*c*) Obſerv. Med. XVII. & JASON Pratenſis *Lib. de Morb. cerebri.*
(*d*) *Theſaur. theor. pract.*
(*e*) *Obſ. XXIV.*
(*f*) *Lib. X. obſ. I.*
(*g*) *Fundament. Med. phyſiol.*

modi pluribusque aliis corripiuntur morborum generibus aſſidui potatores. Qualia ſunt: cephalalgia, hemicrania, ventriculi læſiones, vertigo, tremor, memoriæ & ingenii imbecillitas, viſus debilitas, cachexia, hydrops, podagra, aliique morbi arthritici, ſterilitas (*a*). Aſt cætera omnia recenſere mala, quibus ſemper affligi ſolent ſtrenui Bacchi litatores, nimis longum foret. (*b*) Liquidorum denique penuria ad conſervandam bonam ſanguinis craſin multum conferentium (§. XXIII). Corpus perinde ad qualescunque invitat morbos, ſanguinis nimirum ſpiſſitudo, acrimonia, febres putridæ, malignæ & iidem omnes, qui a ciborum inopia, inde eveniunt morbi.

§. XXXII.

Notandum quidem eſt, potulenta non minus quam aërem & cibum ob conſuetudinem, anni tempeſtates, ætatem, habitus corporis varios, regiones inſigni gaudere latitudine. (vid. §. XXVI.)

§. XXXIII.

Semper tamen ſanitatem magis offendunt potulenta partibus heterogeneis alterata. Sic aquæ impuriores inſalubrioresque ex lacu, paludibus ſtagnantibus &c. collectæ, putridæ, ſalibus acribus feraces, verminoſæ ad morbos caſtrenſes, dyſenteriam panonicam aliasque febres malignas corpus præparant. (*c*) *Sequanæ* amnis Lutetias Pariſ. percurrentis aqua multis inutilibus imprægnata quisquiliis varias afflictiones non aſſuetis excitat plus minus deteſtabiles. Vina quoque pro ratione depravatæ qualitatis diverſas inferunt, noxas atque ad calculum

(*a*) HIER. *Mercurialis de morb. muliebr.* JOH. LANG. *Lib. II. Epiſt. Med. 9.*

(*b*) De hac materia legi meretur PHILIPP. JACOB. SACHSII a LEVENHAIM ampelographia.

(*c*) De noxa aquæ paluſtris ſcite ſcripſit COLUMELLA *de re ruſtica Lib. I. Cap. 5.*

culum, podagram, arthritidem, phthyſin, febres continuas, lentas, inflammationes varias, humorum dyſcraſiam, obſtructiones viſcerum, dolores colicos &c. diſponunt. (*a*) Cereviſia qualitate peccans ſi non majorem, eamdem tamen corpori inducit perniciem. *Omnis enim cereviſia craſſa, turbida, feculenta, minus fermentata, acida, & quæ non ſufficienter cocta fuit, caput gravat, flatuum eſt procreatrix, obſtructiones, ſtranguriam, aſthma, colicam &c. generat.* (*b*) Eadem nimis inebriativa cerebro nervisque maxime adverſatur, & incurabiles gignit morbos chronicos, polypoſas concretiones, hydropem, apoplexiam, ſubitamque mortem.

§. XXXIV.

Diquiſitis jam cunctis & aëris & victus potusque qualitatibus, deductisque generatim variorum exinde propullulantium morborum differentiis, (§. X - XXXIII.) ſpecialiorem inſtituamus malorum Pariſienſium tractationem, atque omnia ea, quæ è modo dictis ad genuinam eorumdem inſtructionem maxime requiruntur, ſolicite adplicemus. (§. VII.)

§. XXXV.

Quamvis urbem illam Europæ vaſtiſſimam, Lutetias ſcilicet Pariſiorum, amœniſſimam ſane atque omnium pulcerrimam eſſe, nemo unquam inficias ire poſſit, qui per aliquod tempus ibidem commoratus eſt, cum iſta fœcundiſſima deliciarum mater univerſo celebranda ſit terrarum orbi, quibus centies ſemper jucundiſſime afficiuntur humani ſenſus; occurrunt tamen qualiacunque, quæ ſummas viciſſim inſuetis præcipue ſtruunt inſidias. Præprimis vero plerique illuc peregrinantes variis inſultibus, unico nomine *le mal de Paris* Gallis dictis corripi & plus minusve modo citius modo tardius affligi ſolent atque proſterni.

§. XXXVI.

(*a*) Conf. H. BOERHAVE *Inſt. Med. §. 760. ſq.*
(*b*) FRID. HOFFMANN *l. c. Tom. I. Lib. II. Cap. 6. §. 18.*

§. XXXVI.

Ita vero differunt inter ſe inſultus allegati, ut diverſas plane in diverſo quolibet individuo ludant ſcenas. Quare adæquatam & ubique talem formare morbi hiſtoriam, vere impoſſibile erit. Alii vix leviorem ſentiunt alvi fluxum, citius aut tardius remittentem. Alii intenſiſſimis cruciantur torminibus, colicisque doloribus. Alii diarrhœa corripiuntur enormi ſummis juncta teneſmis, prægreſſis aut ſubſequentibus doloribus colicis, torminoſis. Alii febre laborant plus minus aucta, cum vel ſine Diarrhœa. Alii non niſi calorem reciprocum accuſant totum corpus percurrentem atque horrorem alternum. Alii cephalalgiam patiuntur modo graviorem modo leviorem. Alii de ſummis corporis languoribus, Alii de notabilibus virium proſtrationibus conqueruntur. Alii illibato gaudent appetitu; Alii contra appetitum habent modo imminutum, Alii plane abolitum. Alii vix ſitiunt, Alii ſitim extinguere nequeunt. Alios a primo ſtatim adventus tempore invadit diarrhœa, neque ceſſat, donec mutetur locus. Alii non niſi poſt aliquod temporis intervallum infeſtantur. Alii bis, ter, quaterve & ultra corripiuntur modo majoribus modo minoribus morbi inſultibus. Alii citius reſtituuntur ab infenſiſſimo morbi gradu, Alii diutius torquentur. Aliis ſponte cedunt mala leviora. Aliis in pejorem tandem omnia convertuntur morbum, dyſenteriam, lienteriam &c. niſi genuina adhibeatur medela. Neque exempla deſunt gravioribus hiſce afflictionibus enectorum, qui perfunctorie nimis atque improvide ſanitati reſtaurandæ proſpexerunt.

§. XXXVII.

Anne ergo generalis atque una eademque tradi poteſt morbi hiſtoria? Nonne mala modo recenſita ratione graduum, incrementi, decrementi, temporis, ſymptomatum, pertinaciæ maxime inter ſe differunt? Ex paragrapho præcedente ſatis ſuperque conſtat. Cauſam vero eorundem quod jam attinet, ſupra

(§. VI.)

(§. VI.) tam aërem, quam cibos potusque omni jure accuſavimus, ſiquidem experientia æque quotidiana, ac ipſa quoque exinde eruta ratio ſatis palpabiles exhibent probationes.

§. XXXVIII.

Aër nimirum, cujus dotes (§. X. - XX.) ſolicite examinavimus, Lutetiam Pariſiorum circum circa ambiens atque penetrans, ratione plagæ urbis, annique temporum admodum differt. Quibusnam vero juxta varios loci tractus ſtipatus eſt qualitatibus? In genere quidem craſſus eſt, gravis, & qualibuscunque infectus vaporibus, exhalationibus teterrimis, ex cœni ſordiumque per plateas & prope urbem ſparſa colluvie atque cumulata, equorum, aliorumque animalium ſterquiliniis, fimetis inde collectis, tot hominum excrementis, tot animalium quotidie mactatorum cruore, ſqualore plus minusve putreſcente &c. (*a*) aſſurgentibus impraegnatus atque jugiter perſiſtens ob cauſas (§. XIV.) allegatas. Interdum ratione ſiccitatis atque humiditatis admodum diverſus eſt. Quo propiores enim urbis partes flumini *Sequanæ* dicto appoſitæ ſunt, eo majori exinde exhalante turgent humiditate. Cum contra in locis remotioribus aër plus minusve ſiccior pro ratione anni tempeſtatis reperiatur. Quemadmodum pariter pro copia miaſmatum occurrentium aliqualem adhuc patitur latitudinem. Nam quo magis ab impuritatibus & quisquiliis purgatæ urbis partes, quo latiores inſimul plateæ, eo ſalubriores aëris dotes cenſendæ ſunt. Ventis enim depravatas aëris qualitates prompte diſſipantibus liberior ſemper conceditur aditus, exinde tot tantaque in illo colligi nequeunt vitia. Continuæ vero aëris viciſſitudines maxime conſiderandæ ſunt. Quamquam enim æſtate præcipue calor intenſiſſimus corpora interdiu premat, ingruente tamen veſpera & ſubſequente nocte quoddam ſemper obſer-

D vatur

(*a*) Vid. §. *XX.*

vatur aëris refrigerium, humiditate conjunctum, ratione propioris vel remotioris à *Sequana* loci magis vel minus perſpicuum. Sicque pro variis anni tempeſtatibus diverſæ iterum occurrunt majores vel minores aëris varietates. (§. XVIII.)

§. XXXIX.

Unde evenit, ut aëris viciſſitudinibus ſæpius alternantibus ejusdemque qualitatibus depravatis, quibus corpus inſuetum ubique expoſitum eſt, univerſale affligatur cutis emunctorium, atque nocturno præcipue tempore, cum advenæ levioribus Gallorum lectiſterniis nondum aſſueverint, corpore interdiu calente, ob liberum aëris nocturni eidem male & improvide tecto conceſſum aditum, inſenſibilis inde imminuatur perſpiratio, & plane quandoque impediatur. Quare humores excrementitii per cutis ſpiracula alias inſenſibiliter exhalantes ob denegatum exitum regurgitant, ad plenum humorum alveum redeunt, nec minus verſus tubum inteſtinalem ruentes, ibidem colantur, colati accumulantur, accumulati vero per alvum copioſe deponuntur. Quare haud inepte locutus eſt HIPPOCRATES: (*a*) *Alvi laxitas, cutis denſitas, cutis raritas, alvi denſitas.* Et alibi: *ubi cutis ſicca, alvus laxa, ubi cutis laxa, alvus ſicca.* Nam ita intime inter ſe communicant hæ viæ regiæ, ut aucta altera ſive imminuta, altera viciſſim ſive imminuatur ſive adaugeatur, ſicque ſingulæ juncto inſimul urinæ organo reliquis vicariam opem præſtare poſſint.

§. XL.

Qualem eſculenta malis ſubſtratis præbere poſſint fomitem, in ſubſequentibus eruere conabimur. Cunctis quidem eſculentorum qualitatibus ſupra (§. XXV - XXVIII.) recenſitis,

(*a*) *Epid. V. Charter. Tom. IX.*

ſitis, diverſorum exinde provenientium morborum diverſa ſigillatim adnotavimus genera! Cujusnam vero indolis ſunt eſculenta Pariſienſia? Optimis ſane prædita eſſe poſſent dotibus, niſi immutarentur ſive arte culinari, ſive tempore deſtruerentur. Depravantur enim obſonia præparationibus culinaribus. Utilia inutilibus immiſcentur; herbæ, olera &c. inepte commiſcentur; carnes, piſces, aliique cibi ſale, multisque aromatibus condiuntur, neque ſufficienter concoquuntur, quales quidem præparationes omnium palato accommodatæ, œconomiæ digeſtionis vero admodum inimicæ ſunt. Quemadmodum cibi, putredine quadam correpti, quales ſunt: carnes, piſces &c. æſtivo præcipue tempore, aëri libero expoſiti citius aut tardius in putredinem abeuntes, butyra rancida, olera vetuſtate corrupta &c. concocti invicem, ventriculo ingeruntur, nec parum deſtruendæ optimæ digeſtioni contribuunt. Sicque fructus horæi, e. gr. pruna, melones, aliique immaturi quandoque, vel nimia quantitate repetitisque vicibus ingeſti ſuum turbandæ concoctioni addunt ſymbolum. Junctis hiſce enumeratis eſculentorum vitiis naturæ minus aſſuetorum admodum infeſtis perturbatur omnino aurea digeſtionis œconomia, ingeſta largius inſimul quandoque aſſumpta minus concoquuntur, in ventriculo atque canali inteſtinali colliguntur, accumulantur, acrimoniam induunt plus minus notabilem, ſicque minus laudabilis ſanguini advehitur chylus, unde major vel minor enaſcitur Maſſæ humorum intemperies. Cruda vero in p. v. hærentia, concoctu difficilia, plus minusve acria pungendo, ſtimulando, vellicando ventriculum atque tubum inteſtinalem, majores vel minores afferunt dolores colicos, tenesmodes, tormina, aliosque abdominis cruciatus, largiorem invitant humorum affluxum, atque tandem motu periſtaltico aucto & excitato ſenſim ſenſimque modo citius modo tardius expelluntur.

§. XLI.

Præmiſſis jam ſpecialioribus de aëre & cibo tractationibus (§. XXXVIII. - XL.) ad potulenta pariter Lutetiæ Pariſiorum proſtantia progredi licet, quæ ſummam omnino merentur attentionem. Et cum potiores potuum indoles accurate exploratæ, neque minus ſummæ morborum corpori exinde irruentium differentiæ (§. XXX. - XXXIII.) demonſtratæ ſint; ſpeciatim nunc potuum Pariſienſium qualitates utpote ſcopo noſtro ſumme neceſſariæ examinandæ nobis ſuperſunt.

§. XLII.

Dolendum ſane eſt, in urbe illa alias amœniſſima, cui natura opimam cæterorum ad ſuſtentandam vitam & ſanitatem præſidiorum abundantiam largiter ſuppeditavit, præſtantiſſimum conſervandæ corporis integritatis requiſitum, laudabilem nempe deeſſe aquarum puriorum apparatum. Communis enim fons, e quo omnis potui æque, ac concoquendis in culina cibis, reliquisque neceſſariis uſibus deſtinata hauritur aqua, apertus *Sequanæ* fluminis eſt alveus. Verum quotnam ſordes ibidem collocantur, quotnam ſtercora in eundem confluunt *Sequanæ* amnem, medias urbis partes transcurrentem, nedum ſqualores qualescunque extra urbis limites in illo collecti. Innumeræ interdiu lotrices omnia fere totius urbis linteamina ſpurciſſimis quandoque inquinata impuritatibus, & ab iis depoſita, qui variis morbis maxime deteſtabilibus correpti ſunt, ad utramque fluminis ripam elavant, extorquent & ſaponibus expurgant, & proxime ab iisdem aquæ variis his inquinamentis depravatæ, partibusque ſaponaceis imbutæ in cyſternas colliguntur, & per univerſam venduntur urbem. Multa inſimul hominum brutorumque excrementa, innumeræque aliæ ibidem confluunt

fluunt ſpurcities. Idem flumen univerſale pariter eſt aquarium, ubi omnes fere totius urbis equi, aliaque quotidie lavari ſolent animalia. Quotnam brutorum cadavera brutorumque exta contra ſtrenuum magiſtratus interdictum clanculum ibidem deponuntur? Et quæ ſunt reliqua ad producendas varias impuritates multum conferentia. (*a*) Hæc vero eſt illa aqua, quæ quotidiano tot hominum inſervire ſolet uſui, & quæ per longos canalium tractus in remotiſſimas urbis partes artificioſiſſime diſtribuitur. Dantur interim quidam fontes, ſinceritate atque puritate aquam *Sequanæ* maxime ſuperantes, quorum unicus prope palatium regium *Louxembourg* Gallis dictum, cognitus nobis eſt, ſed quotnam iſte ſufficere poſſet hominibus? Alius iterum in alio quodam regis palatio *Lupara* (*vieux Louvre*) dicto exſtat, cujus aquæ tanta terræ cujusdam tophaceæ copia imprægnatæ & ſaturatæ ſunt, ne unquam interno uſui deſtinentur, niſi prius optime filtratæ ſint atque colatæ. Varii quoque occurrunt putei, ſed aquis peſſimæ plerumque indolis impleti, neque pro potu aſſervari poſſunt.

§. XLIII.

Quantum ad reliquorum potulentorum virtutes, multa quidem eaque generoſiſſima vina in variis Galliæ regionibus, Campania, Burgundia, Delphinatu, Occitania &c. a natura proferri, ſatis conſtat, quorum uſus in urbe regia frequentiſſimus, & ſi moderatus, ſalutaris omnino habendus eſt. In regionibus autem urbi proximis, quæ magna pariter abundant vinorum copia, eadem dotibus benignis multo ſunt inferiora præcedentibus, auſtera enim, cruda, dura, multisque ſtipata partibus heterogeneis exiſtunt, atque revera ad calculum maxime diſponunt Pariſienſibus admodum familiarem.

 Nec

(*a*) Diſſert. *de diarrhœa & febre ardente &c.* Tub. Præſid. RUDOLPH. J. CAMERARIO, auctore Reſp. DAN. HOFFNANNO habita.

Nec deſunt hodie nebulones, qui lucri cauſa illa per ſe viliora mera ſaturninis ad omnium edulcando palatum, magis magisque deſtruunt. Cereviſiæ denique ibidem valde differunt, & eæ cenſentur optimæ, quæ extra urbem (*à Goblin*) coquuntur, aliæ vero in urbe paſſim paratæ, plus minusve inebriantes, acidæ utplurimum, & iis omnibus ſtipatæ ſunt dotibus, de quibus ſupra. (§. XXXIII.)

§. XLIV.

Recenſitis ſupra (§. XXXIII,) generalibus potulentorum qualitatibus, illibatæ corporis ſaluti ſumme inſidioſis, variisque exinde deductis morborum varietatibus, ſpeciatim jam ex depravatis potulentorum qualitatibus (§. XLII. XLIII.) examinatis, ulteriores eruamus inſultuum præſentium cauſas. Et quemadmodum luculenter oſtendimus, quomodo variæ aëris indoles illis multum faveant (§. XXXVIII. XXXIX.) & quale perinde diverſæ eſculentorum dotes tribuant ſymbolum, (§. XL.) ita videbimus pariter, quid conferant aperta ſatis potulentorum vitia. *Sequanæ* nimirum aqua, ex cauſis (§. XLII.) allegatis a benigna aquæ purioris natura longiſſime diſcedit, vitia contrahit qualiacunque, multis referta eſt particulis acribus, putredinoſis, ſaponaceis, pinguibus, & juxta *Lemery* (*a*) Sale quodam laxativo, ita intime tamen reſolutis, ut neque filtrando, neque coquendo ab iſta ſufficienter ſeparari poſſent. Quare nec mirum, plerosque minus aſſuetos aqua hacce impuriori ſeſe ingurgitantes majori vel minori corripi inſultu, ſiquidem particulæ heterogeneæ, acres, ſaponaceæ aliæque in aqua ſubtiliſſime reſolutæ, ad univerſalem humorum maſſam deducuntur, illam inquinant, neque minus ventriculum atque ductum inteſtinalem vellicando, ſtimulando, rodendo, plus minusve torquent, dolores torminoſos, colicos, teneſmos excitant, motum periſtal-

(*a*) *Traité des alimens.*

riſtalticum promovent, adaugent, & ad citatiorem retentorum expulſionem diſponunt. Multum quoque huc conferunt alia potulentorum genera, qualitate peccantia, vina, cereviſiæ, (§. XLIII.) juſto copioſiora, ineptoque tempore exhauſta.

§. XLV.

Ex dictis itaque (§. XXXVIII. - XLIV.) facile concludendum erit, aërem æque ac victum potumque præcipuas eſſe omnium malorum (§. XXXVI.) recenſitorum cauſas, junctis viribus inſuetos pleroſque corripientes, qui quo fortioris robuſtioriſque ſunt conſtitutionis, eo levioribus omnino affliguntur inſultibus, quid? quandoque ab omnibus afflictionibus illæſi manent, præcipue cum blandum ſemper regimen diætamque pariter ubique ſervare nitantur, neque exceſſu eſculentorum potulentorumque peccent, neque immodicis aëris injuriis & viciſſitudinibus improvide ſe exponant. Advenas enim per aliquod jam temporis intervallum Lutetiæ degentes incolumi ſemper corporis integritate gaudentes, exceſſu victus potusve immoderato atque aëris humidi præcipue, frigidi, nebuloſique tum temporis graſſantis improvida admiſſione, diarrhœa plus minusve intenſa, citius aut tardius pariter remittente, aliisve (§. XXXVI.) recenſitis inſultibus correptas eſſe, experientia edocti ſumus. Delicatuli vero, & leviſſimis a prima pueritia atque nitidiſſimis aſſueti cibis & potibus inſolitum ſane Pariſienſium vitæ genus tolerare vix poſſunt, quin potius a primo ſtatim adventu ſive levioribus ſemper vexentur ventris fluxibus, conjunctis inſimul quandoque majoribus vel minoribus borborygmis & torminibus, ſive aliis moderatioribus agitentur morborum inſidiis, quamquam ſtrictiſſimam ſolicite habere ſtudeant diætæ rationem, ſive prægreſſo vel minimo ejusdem errore in teterrimam præcipitari diarrhœam, ſummisque torminibus atque doloribus torqueri

ſolent:

ſolent colicis, quibus febriles nonnunquam plus minus fortiores prægrediuntur aut ſuccedunt commotiones, neque dyſenteria ſive lienteria magis vel minus pernicioſa ſupervenire morantur. Quemadmodum alii, qui damnoſam ſequuntur gulam omnibusque in diæta committenda indulgent erroribus, corpora ita diſponunt atque debilitant, ut bis, ter, quaterve repetita vice, omnibus (§. XXXVI.) adnotatis plus vel minus inſidioſis proſternuntur morbi procellis, & niſi ab immoderato abſtineant vitæ genere, neque proficuis ſaluti proſpiciant remediis ſemet ipſos quaſi jugulent, & præmaturum alliciant vitæ diſcrimen. Interdum tamen urbis plagas admodum diverſas, (§. XXXVIII.) quibus inhabitant exteri, nec minus varia anni tempora ob diverſas aëris qualitates multum tribuere levioribus aut gravioribus morbi inſultibus, non negamus, neque plerosque ab omnibus hactenus enarratis plane immunes fore invaſionibus, unquam diffitemur, ſiquidem omnes tantis inſidiis in corporum inſuetorum ſalutem ſævientes cauſæ in conſuetudinem tandem abeunt. Quare omnes *Lutetiæ Pariſiorum* incolæ ob radicatam à primitiis earundem conſuetudinem ab omnibus hujuscemodi incommodis plane vivunt illibati.

§. XLVI.

Exantlatis omnium malorum cauſis omnibus, (§. XXXVIII. XLIV.) eorum denique diverſis admodum Schematibus (§. XXXVI.) juxta individualem corporis diſpoſitionem, vitam prægreſſam, varias urbis plagas, anni tempora &c. prolixe deductis, (§. XLV.) Pauca ſuperſunt, quæ ſcopo præſervativo ſive curatorio obſervanda eſſe, demonſtrabimus. Omnibus nimirum exteris ſtrictiſſimam ubique commendamus diætam præprimis à primo ſtatim adventu ſolicite obſervandam, omnesque largiores aquæ *Sequanæ* ingurgitationes damnamus, ſed corpora ſenſim ſenſimque huic ſufferendæ ad-

com-

commodanda eſſe perhibemus. Quare vino generoſiori, cujus varia proſtant optimæ indolis genera, aliqualis ab initio admiſceatur filtrata tamen & optime cocta portio ſenſim major, donec natura illi aſſueverit. Quodſi ſentient minus aſſueti leviorem quemdam inſultum, abſtineant à largiori victu, atque non niſi pro fame extinguenda commedant, fugiant pariter cane pejus & angue vel minimam aquæ fluviatilis portionem, ſed moderata vini meracioris utantur quantitate, neque perniciofis aëris injuriis ſeſe exponant. Quæ omnia continuanda, donec ceſſabit inſultus. Cum vero pro ſiti exſtinguenda meracum ſemper minime conducat vinum, pro potu commendamus aquam illam puriorem prope *Louxembourg* inquirendam, (§. XLII.) ſive cereviſiam bonis dotibus præditam, (*la biere de Goblin.* ibid.). Domicilia item in purioribus urbis tractibus, à *Sequana* remotioribus ſeligantur, qualia in ſuburbio Sancti Germani, (*Faubourg Saint Germain.*) multa eaque amœniſſima conducenda ſunt. Neque deſunt alia, a flumine remotiora in aliis ſuburbiis prope hortos e. gr. ſive ad urbis limites ſeligenda, & ob ſalubriorem aëris aditum maxime ſalubria. Temporibus nocturnis corpora ſtragulis bene cooperiantur, neque liberior concedatur aëris exterioris aditus, ne æquabilis unquam impediatur perſpiratio. Præſente vero majori inſultu plus minusve infenſo, non equidem diſſuadere volumus *Ipecacuanhæ* uſum ab initio ſtatim propinandum, quem Beatus D. D. HOFFMANN cum Helvetio, (*a*) aliisque commendat, (*b*) neque commendamus ob fallacem quandoque ejusdem effectum. Rhabarbarina potius, junctis inſimul diæta parciori, leviori, juſculis carnis blandioribus, (*bouillons*) clyſmatibus pariter gelatinoſis, blandiſſimis, minime ſtimulantibus, ſæpius repetitis, donec omnia expulſa ſint vitia, optime conducunt. Quodſi majores mi-

 Maſti-

(*a*) *Traité des maladies les plus frequentes. Tom. II.*

(*b*) Vid. *Diſſert. ſupra alleg.*

noresve

noresve febris urgent commotiones, V. S. plus vel minus largior cum optimo quandoque adhibetur ſucceſſu, quibus pariter temperantibus, Diaphoreticis fixis, nitroſis refracta doſi, &c. occurrendum eſt. Ad tonica in fine atque roborantia progredi licet. Utrum vero corticis peruviani uſus commendandus an prohibendus ſit, omnino hæſitamus, ſiquidem ne minimum quidem ejusdem effectum in nobismet ipſis experti ſumus, quamvis Excellentiſſimus Dominus PRÆSES eumdem binis ægrotantibus propinaverit bono cum effectu. Medicum vero vini cujusdam generoſioris uſum Apiani v. gr. bis terve interdiu repetendum celebramus, quemadmodum alia non æque generoſa N. M. cinamomo aliisque aromatibus leniter condita minime diſſuademus, quin potius corticem cinamomi non tantum ſcopo præſervatorio optime commendamus, ſed præſente jam peſſime indolis morbo eundem exinde ſperamus effectum, quem GEORGIUS BAGLIVUS ſequentibus promiſit (a): *Maſticando tota die cinamomum & deglutiendo ſalivam illam à diarrhœis & languoribus ſtomachi cum dyſenteria brevi ſanati ſunt.* Potum Coffee; Succolatæ; aliorumque id genus potulentorum largiter concedimus, quippe non parum ad reſtituendum tonum reparandamque digeſtionis œconomiam conferentium. Nec minus externa optimo cum eventu adhibenda ſunt ventriculi regioni imponenda calida, aromatiſata epithemata, emplaſtra ſtomachalia, quorum uſu continuato à pertinaciſſima liberati ſumus lienteria. Toto autem morbi decurſu ſtrictum ſemper ſervetur regimen, ut in priſtinum vigorem reſtituatur perſpiratio inſenſibilis, utpote à qua non minimus exſpectandus eſt ubique effectus. Legitimus pariter rerum n. n. uſus probe ſemper obſervetur, ne recidivæ, quæ frequentes ſunt, plus minusve pernicioſæ ſanitatem recuperatam denuo exagitent porcellæ. Iis denique qui

(a) Praxis Medica *L. I. C. de Diarrhœa & Dyſenteria.*

qui neque aërem neque victum potumque facile ſufferre poterunt, fatalem ipſis cum alio ſalubriori commutare locum conſultius erit.

§. XLVII.

Hæc ſunt, quæ de inſidiis exterorum plerorumque Lutetiæ Pariſiorum degentium ſanitatem maxime infeſtantibus diſſerere voluimus. Neque unquam alii occurrunt morbi, iisdem æque familiares & pernicioſi; Quamvis alias quasdam morborum ſpecies aliqui demonſtrare contendant, pari paſſu cum modo enarratis inſultibus advenis plerisque inſidiantes.

Quod reliquum eſt, Te B. L. vehementer rogo, velis primos hos virium conatus benigne ſuſcipere, & leviores forſan æqui bonique conſulere errores.

T A N T V M.